



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 29. Quid notandum sit circa dissolutionem sponsalium per
Matrimonium contractum cum alia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

mini, votum & Ordo sacer obligat Deo, Deus autem vult, ut cuique jus suum tribuatur, neque enim quisquam dicet, me ex eo, quod Deo vel pia causa solvam 100. Daleros, esse liberatum ab obligatione eos solvendi illi, cui ob emptum pannum illos debeo, ergo nec satisfacio pro sponsa, licet me Deo obligem ad majora per Ordines sacros; Hinc quamvis *Tamb. t. 3. c. 5. §. 3.* dicat, utramque sententiam suam probabilitate non carere, & *Spor. n. 205.* dicat utramque esse æqualiter probabilem, tamen secunda videtur esse mihi longè probabilior, & tum saltem absolutè tenenda, si quis vellet sacros Ordines suscipere purè, ut se à tali sponsa sibi nunc dispendente liberaret.

201. Q. 29. Quid notandum sit circa dissolutionem sponsalium per Matrimonium contractum cum alia. *R. §. Palud. Gabr. Henriq. Bonac. Becan. Fill. Vallal. Laym. Sanch. l. 1. d. 48.* dicunt ita dissolvi per Matrimonium cum alia initum, ut quamvis huius uxor moriatur, aut profiteatur in Religione, ipse se non teneatur ducere primam, quia superveniens obligatio major Matrimonii videtur extinxisse minorem priorum sponsalium, sicut professio in strictiore Ordine extinguit professionem in priore Ordine laxiore. E contra *Ab. Led. Hurt. Vega, Cón. Pont. Avers. q. 8. f. 13. Mastri. 82. Castrop. p. 21. n. 4. Spor. n. 208. Krim. à n. 263. Kugler. p. 3. n. 77.* probabilius dicunt, quòd maneat obligatus primæ, quia superveniens Matrimonium tantum impedit executionem priorum sponsalium, sicut etiam impedit ingressum in Religionem, si antea vovisset Religionem ingredi, non autem tollit illam obligationem: Et disparitas est in profitente Religionem strictioris

rem, nam professio est vinculum ex se perpetuum, quod solâ morte tollitur, hinc factâ professione in Ordine strictiore meritò censetur extincta professio in minus stricto; Matrimonium autem solvitur, vel morte conjugis, vel professione, quo soluto manet in altero aptitudo ad implenda priora sponsalia, ergo etiam obligatio. Quid dicendum sit de sponsalibus initis contra fidem priorum, dixi à n. 73.

§. 2. Si Matrimonium hoc non fuisset validum, nequidem suspensa fuissent sponsalia, quia, quod de Jure non habet effectum, non præstat impedimentum, Cap. Non præstat. De regul. Juris in 6.

Q. 30. Quid addendum sit circa dissolutionem ob absentiam sponsi vel nimiam dilationem. R. §. 1. Si sponsus ex justa causa se aliò conferat, v. g. ad studium, ad negotiationem, & redire velit, L. sepe, ff. De sponsal. significatur exspectandum esse, donec causa cesset, L. 2. Cod. De repud. dicitur exspectandum ad triennium. L. 2. Cod. De spons. dicitur exspectandum ad biennium, si sponsus moretur intra provinciam; si autem extra, ad triennium, putantque multi has leges civiles adhuc obligare: sed alii cum Sanch. l. 1. d. 54. Castrop. d. 1. p. 23. n. 2. Avers. q. 8. f. 11. Gob. t. 10. n. 351. Spor. n. 201. dicunt Jus civile correctum esse per Jus Canonicum, quod Cap. De illis, De spons. expressè & absolute dicit: De illis, qui promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea dimitunt terram, se in partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre. Pirh. & alii cum Krim. à n. 294. dicunt, Jus civile tantum loqui de exspectando tanto tempore, si velit retinere arrhas & donata à sponso, de cætero potest illis remissis stare dispositio-